

*cultus, everso a Mauris in ea regione imperio Wisigothico, ita obliteratedus fuit ut omnino exciderit e memoria hominum. Hujus generis citari possunt sancti Cordubenses Alvarus et Sperandeus, quorum nomina jam constat olim calendario ecclesiastico inserta fuisse, prioris quidem die 7 novembris, alterius vero die 7 maii (1), postea vero exciderunt ita ut nulla eorum cultus superesset memoria. Neque, quod ad Masonam spectat, ad solas conjecturas rejicimur. Etenim, quod jam monuit Franciscus Perezus Bayerius (2), in codice bibliothecæ Escorialensis Matriti, qui exaratus est sub fine seculi XII vel exordio sequentis, servatur vetustum breviarium ubi indicatur S. Masonæ festum celebrari simul cum Damasi, et utriusque communis traditur oratio. Rem denuo accurate recognovit, nobis rogantibus, doctissimus Aurelianus Fernandez Guerra, docuitque nos omnia quæ in Bayeri adnotatione leguntur rerum veritati consonare (nisi quod levi errore nota codicis indicatur Plut. III, litt. L, n. 4, ubi scribendum erat III. L. 3). In eo codice igitur, post festa S. Leocadiæ (d. 9 decembris) et S. Eulaliæ (d. 10 decembris) ac S. Pauli martyris annuntiatur Sanctorum Damaso (sic) et Masonæ, ac subjicitur hæc oratio: Misericordiam tuam, Domine, nobis, quæsumus, intervenientibus sanctis confessoribus atque pontificibus tuis Damaso et MASONA clementer impende, et nobis peccatoribus ipsorum propiciare suffragiis.*

(1) Simonet, *Santoral hispano-mozarabe sacado del calendario astronomico que dió a luz en 961 Recemundo obispo de Iliberis*, in periodico Matritensi *La Ciudad de Dios*, tom. V, 1871, pp. 198, 207. Cfr. Nicolaus Antonius, *Bibl. Hisp. Vet.*, tom. I, pp. 475, 467. — (2) *Bibl. Hisp.*, tom. cit., p. 351, not. 1.

